Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 643
Quelle:
Copyright:

nis in Seytz Ord. Cartusiensis fundati in *Styria* anno 1164.

CCVI. VIII E 26.

375 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 118. f. luculente scriptus et rubricis notatus complectitur: I. *Hilarii* Commentarium in *Matth.* hoc titulo: *Incipit Tractatus Sancti Hylarii Pictauiensis Episcopi In Euangelium Super Matheum.* Scripsit *Tractatum* hunc magnus Praesul circa an. 355. ut notant Editores *Mauriani*, apud quos habetur *col.* 609. *Paris.* 1693. f. in *Capita* tributus, cum nobis *Numeris* constet, iisque, licet textus rite procedat, mire confusis ex. caussa I. VII. XIII. XV. XVI. XXV. XXVI. &c. Collatione instituta raro deprehenditur lectionis discrepantia, quam non jam *Mauriani* adnotassent. Unam adscribo non procul a principio, ubi *Edita* habent: *Denique cum transire Joseph ad Aegyptum admonetur, ita dicitur. Codex* vero: *Denique cum transiret Joseph ad egiptum ita ammonetur, dicitur-que.* Ultima illius sunt: *Emitur uero a custodibus qui omnia hęc uiderant argento resurrectionis silentium*, jamque adjecerat Librarius: *et Mendacium*, prout in *Editis* excurrit, sed nescio, cur rursus alleverit atrum transverso calamo signum contentus addere: *Explicit Liber.*

Regis Summe Boni Testis Memor esto Geori.
Scriptoris Libri Maculas Tergendo Piacli.

Vel solo hoc disticho motus *Codicem* cum pluribus aliis jam recensitis olim ad Monasterium *Weltenburgense* O. S. B. in *Bajoaria* pertinuisse dixissem, nisi insuper *Fol.* 1. p. 2. legerem: *Liber Sancti Georii in weltenburch*, et alia manu: *accepi dono ab abbate.* Haec igitur subfragantur Cl. *Pezio Dissert. Isag.* ad T. I. *Anecd.* p. 37. narranti, nihil in hoc Coenobio incuria Monachorum prioribus seculis prope pessumdato veterum monumentorum restare.

II. *fol.* 68. p. 2. *Incipit liber domni hugonis de claustralibus.* Praeeunt Capitum Summaria inscripta: *Hęc continentur in subiecto libro domini Hugonis prepositi S. Victoris martiris.* Exemplar unum *Cod.* DCXXXVI. dedimus, cui istud geminum est. Praefatio et hic incipit: *Locuturus karissime de his quę ad edificationem claustri materialis pertinent* &c. totusque Liber, qui in Editis *Rothomagi* 1648. T. II. p. 60. *secundum* locum occupat, hic *primum* tenet. Ita et qui ibi *Tertius*, nobis *Secundus*, incipiens a Praef: *Nosti karissime quod ea que de ordinatione claustri materialis diximus* &c. desinensque in verbis: *tolle grabatum tuum et ambula*, rescissis omnibus, quae in *Editis*, maxime *de Templo Salomonis*, inconcinne adhaerent.

Pro